CONSTITUTIO CLEMENTIS XI.

Super electione Vicarii Generalis, aliorumque Officialium Congregationis FF. Discalceatorum Ord. Eremitarum S. Augustini, duratione triennali Vicarii Generalis, & Vacantia post sexennium, ad formam Congreg. Italiæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam impositum postulat, ut paternam Christifidelium, qui è fluctibus sæculi in portum Regularis observantiæ confugerunt curam gerentes, eorum statui, & felici directioni opportunis rationibus consulere studeamus, prout pia Orthodoxorum Regum Vota exposcunt, & Nos matura consideratione prævia conspicimus in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem fel. record. Clemens PP. X. Prædecessor noster inter alia decem Conventus Fra-

trum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini, nempè Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in Valle de Xabregas propè, & extrà muros Civitatis Ulyxbonen. Assumptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis in Cassarica, Pietatis in Sanctarem, ejusdem Conceptionis in Montemoro novo, Mercedis in Civitate Elboren, Sanctæ Mariæ Consolationis in Extremos, Sanctæ Mariæ Portallengre, Sanctæ Mariæ de Orada in Moncaras, Boni Jesu in portu de Mos, & Hospitii in dicta Civitate Ulyxbonen. in Regione, seù Contrata ubi dicitur frangas de faringha in novam Congregationem Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quæ Congregatio Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ Regni Portugalliæ nuncupari, ac ab uno Vicario Generali capitularitèr, & canonicè de sexennio in sexennium eligendo regi, & gubernari, necnon Statuta, & Constitutiones Congregationis Italiæ Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis à Sede Apostolica approbata observare deberet, & teneretur, firma tamèn in omnibus permanente auctoritate, & superioritate, quàm Priores Generales dicti Ordinis super alias hujusmodi Congregationes Fratrum Discalceatorum obtinebant, ac ea lege, ut tùnc existens Prior Generalis ejusdem Ordinis ea prima vice tantùm Vicarium Generalem novæ

Con-

Congregationis hujusmodi ad sexennium deputare deberet, quam ad rem opportunam ei tribuit facultatem, sub certis modo, & forma tùnc expressis, perpetuò erexit, & instituit, proùt in ejusdem Clementis Prædecessoris literis die 8. Februarii 1675. expeditis, quarum tenorem præsentibus prò plenè, & sufficientèr expresso, & inserto haberi volumus uberius continetur. Cùm autèm sicut pro parte Charissimi in Christo filii nostri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris Nobis nupèr expositum fuit causa, proptèr quam gubernium sexennale Vicarii Generalis supradictarũ Congregationis, & Provinciæ in prædictis Clementis Prædecessoris literis ob defectum Religiosorum idoneorum concessum fuit, jàm cessaverit, iidem verò Religiosi benedicente Domino, in dies ità multiplicentur, ut in eadem Provincia, sicùt in cæteris ritè, & rectè Constitutiones Ordinis observare valeant, ac proindè dictus Joannes Rex dictum gubernium sexennale ad triennale tantùm reduci, ac aliàs opportunè in præmissis à Nobis provideri, & ut infrà indulgeri plurimum desideret. Nos igitur ipsius Joannis Regis desiderio quantum cùm Domino possumus favorabilitèr annuere volentes, ac infrascriptorum Fratrum expressè Professorum Congregationis, & Provinciæ prędictarum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, &

interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure; vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus ejusdem Joannis Regis nomine Nobis super hoc humilitèr porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui rem maturè, & accuratè discusserunt, consilio prędictum gubernium sexennale in posterum ad triennale tantùm cùm solitis vacantiis ad formam earundem Constitutionum, firma tamèn, & salva remanente in reliquis ejusdem Clementis Prædecessoris literarum forma, & dispositione auctoritate nostra Apostolica tenore præsentium reducimus. Prætereà fœlici, prosperoque dictarum Congregationis, & Provinciæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ regimini, & gubernio salubritèr providere cupientes, ac de Infrascriptorum Congregationis, & Provinciæ prædictorum professorum fide, prudentia, vigilantia, charitate, integritate, & religionis zelo plurimùm in Domino confisi dilectos filios Augustinum à Sancta Maria in Generalem, seù Vicarium Generalem, ac Emanuelem Angelorum, Emanuelem à Sancto Jacobo, Michaelem à Purificatione, &

Cle-

 140

Clementem à Jesu Definitores, & Augustinum à Mercedibus, ac Nicolaum à Sancto Francisco in Visitatores, necnon Joannem à Monte Calvario in Procuratorem Generalem, & Joannem à Consolatione fratres expressè professos Congregationis, & Provinciæ hujusmodi in Secretarium ejusdem Congregationis, & Provinciæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ ad triennium à die, quo moderni Vicarius Generalis, Definitores, Visitatores, Procurator Generalis, & Secretarius tempus suum compleverint, inchoandum, cùm omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, præeminentiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, auctoritate, & tenore præsentis constituimus, & deputamus. Ac eidem Augustino à Sancta Maria in Generalem, seu Vicarium Generalem, & Joanni à Monte Calvario in Procuratorem Generalem sic à Nobis constitutis, secundo loco in casum obitus, vel legitimi impedimenti, dilectos Filios eundem Joannem à Monte Calvario in Vicarium Generalem, & Nicolaum Tolentinum earumdem Congregationis, & Provinciæ Professores in Procuratorem Generalem Congregationis, & Provinciæ hujusmodi respectivè substituimus, & subrogamus. Mandantes propterà in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis

 omni-

omnibus, & singulis Congregationis, & Provinciæ prædictarum, Superioribus, Fratribus, & personis, cęterisque, ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut suprà nominatos Fratres ad officia eis respectivè per præsentes demandata, illorumque liberum exercitium, juxtà earumdem tenorem præsentium recipiant, & admittant, eosque recognoscant, & illis in omnibus officia hujusmodi concernentibus, pareant, & obediant, faveantque, & assistant respectivè. Ac decernentes ipsas præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabilitèr observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus præfatis Clementis Prædecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatarum Congregationis, & Provinciæ etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in-

con-

contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt specialitèr, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Anulo Piscatoris die quartadecima Septembris millesimo septingentesimo quintodecimo, Pontificatus nostri anno quintodecimo.

Sumptum ex minuta Originali Brevium Secretorum Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS PP. XI. collatum concordat.

Locus ✠ Sigilli.

J. Cardinalis Oliverius.

CONSTITUTIO
URBANI VIII.

Super electos ad quædam Officia potiora Congregationis nostræ hic expressa, spatio duorum immediatè Capitulorum Generalium, debere à quolibet eorum vacare per triennium immediatè subsequens.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CIrcumspecta Romani Pontificis providentia personarum sub suavi Religionis jugo Divini Numinis obsequiis mancipatarum præcipuam gerens solicitudinem, ea statuit, & ordinat, quæ fælici earum personarum statui dignoscuntur profutura, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit salubriter in Domino expedire. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii, Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Congregationis Discalceatorum nuncupatorum assiduis Verbi Dei prædicationibus, & Sacramentorum administrationibus, aliisque spiritualibus exercitiis

1635 die 18. Maii.
Extat copia authen in Archivio nostri Procur. Gen.

vitlis uberes in vinea Domini fructus afferant. Nos ut Congregatio prædicta fælicioribus in dies proficiat incrementis, opportunè providere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, tenore præsentium, statuimus, & ordinamus, ut quæ spatio temporis, quo quatuor immediatè antecedentia Capitula generalia celebrata fuere ad quæcumque officia Religionis tam Generalia, Vicarii scilicet Generalis, Procuratoris Generalis, Diffinitorum, vel Visitatorum generalium: quam etiam in Provincialia, seu Conventualia, Provincialatus nimirum, vel Prioratus, aut aliquod eorum electus fuerit, dictaque officia, vel aliquod eorum successivè, etiamsi non unum semper, & continuò, sed diversa illorum, vel plura etiam diverso tempore per dictum spatium exercuerit, & administraverit, non possit in Capitulo generali propediem celebrando, nec subinde per triennium immediatè subsequens ad aliquot ex præfatis officiis eligi, sed quoad ea omnia, & singula voce passiva, dicto tempore, careat, ac Deo, & animæ suæ vacet. In posterum verò, qui spatio duorum Capitulorum generalium successivè ad præfata officia, vel eorum aliquod electus fuerit, in tertio Capitulo generali, ac per triennium immediatè subsequens ad nullum ex eis officiis, vel aliquod illorum eligi possit, sed voce passiva, dicto tempore, quoad ea

omnia

omnia careat, ac Deo pariter, & animæ suæ vacet. Decernentes omnes, & singulos, qui officia hujusmodi, ut præfertur, exercuerint, ad illa, vel eorum aliquod contra præsentium tenorem assequenda, & exercenda, inhabiles esse, & fore; Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis, & aliis arbitrio nostro infligendis pœnis omnibus, & singulis dictæ Congregationis Fratribus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ne eos, quæ dicta officia, ut præfertur, gesserint, & exercuerint, ad illa de novo contra earumdem præsentium formam, & tenorem eligere, iis verò, quos sic eligi contigerit, officia prædicta acceptare, vel in eis quoquomodo, se immiscere audeant, & præsumant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis prædictorum, & juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis

Or-

Ordinis,& Congregationis hujuſmodi, illorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpeciali, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Maii M.DC.XXXV. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

I. G. Sluſius.

So-

Solutio dubiorum propositorum super litteris Apostolicis spectantibus ad vacationem ab officiis, aliorumque super infrà notatis litteris Apostolicis reductivis vocalium Capituli generalis.

Beatissimo Padre.

IL *Procurator Generale degli Agostiniani Scalzi d'Italia a nome del Deffinitorio annuale, umilmente espone alla Santità Vostra, come la sua Congregazione ha due Brevi, uno della fel. mem. d'Urbano VIII. quale comincia*, Circumspecta, &c. *l'altro di Alessandro VII. e comincia*, Militantis, &c. *de' quali ne danno le ingionte copie, e da detti Brevi ne nascono alcuni dubj molto rilevanti nella pratica del Governo.*

Circa il primo di Urbano VIII. ove si ordina la vacanza per triennium dalli officj da quelli, che eletti successivamenne da due Capitoli Generali averanno esercitato l'officio pag. 8. Imposterum verò, &c.

1. *Si dubita, se occorrendo, che alcuno non fosse eletto in Capitolo Generale, ma tempore intermedio dal Deffinitorio per la morte, ò vacanza dell'eletto nel Capitolo, possa esser di nuovo eletto nelli*

1674. die 6. Aprilis.
Extat copia authen. in Archivio nostri Procur. Gener.

nelli due seguenti Capitoli generali, mentre con queste due altre elettioni eccederia nel governo per un'anno, ò più, come portasse il caso, il tempo del governo, &c.

2. *Se quello, che è stato eletto per due Capitoli generali successivamente, ma ò per rinontia, ò per altro non hà esercitato continuamente li sei anni di governo, ma mancato per qualche notabil tempo, possa di nuovo essere eletto nel terzo Capitolo immediatamente, &c.*

Circa il suddetto Breve d'Alessandro VII. ove si riduce il numero de' vocali da venire al Capitolo Generale, e delli requisiti da haversi da uno de' Discreti di ciascuna Provincia. pag. 6. Et unus ex istis, &c.

3. *Si dubita, se li* 9. *ò* 12. *anni di Lettura, ò Predica in un soggetto si possono confondere, cioè che ne habbia parte di Predica, e parte di Lettura, ò pure che habbino da essere solamente di Lettura, ò Predica.*

4. *Se in qualche Provincia non vi fosse chi havesse la conditione delli* 9. *ò* 12. *anni di Lettura, ò Predica, se si possono eleggere li due Discreti ricercati dal Breve per Capitolo generale, &c.*

5. *E se non vi fosse più d'un soggetto con le sudette qualità, possa ex se venire al Capitolo generale, o pure essere in libertà delli Elettori di eleggerlo, ò nò, e se non eletto, restare la Provincia con il solo Discreto, &c.*

6. *Es-*

6. Essendovi nelle Provincie li soggetti con le qualità, alcuni di 9. & altri di 12. anni, se li Elettori siano liberi eleggere tanto gli uni, quanto gli altri, o pure siano astretti eleggere quelli delli dodici, e lasciare quelli delli nove anni, &c. Che però l'Oratore supplica humilmente la somma benignità di Vostra Santità dell'opportuna dichiaratione, la quale habbia da servire in l'avvenire, cioè dal prossimo Capitolo Generale dell'anno 1673. in poi, mentre hora è tempo, che le dette elettioni de' due Discreti già sono fatte per le Provincie. Il che, &c.

Congregatio nonnullorum S. R. E. Eminentissimorum Cardinalium per Sanctiss. D. N. specialiter deputata ad suprascriptas dubitationes infrascriptum in modum respondendum censuit, nempè.

Ad 1. Quatenus electus tempore intermedio exercuerit per annum non completum, tunc posse eligi in duobus sequentibus Capitulis: secus autem, si per annum integrum.

Ad 2. Negativè.

Ad 3. Confusim, dummodo per tempus definitum incubuerit partim Lecturæ, partim Prædicationi.

Ad 4. Negativè.

Ad 5. Præcedendam electionem.

Ad

Ad 6. Esse in arbitrio eligentium.
Romæ 6. Aprilis 1674.

Fr. Card. Brancatius.

Locus ✠ Sigilli.

A. Arcb. Episc. Lyc. Secr.

Aliæ Declarationes super eadem Vacantia.

Ex Regest. R. P. Procuratoris Generalis Congregationis Italiæ & Germaniæ lib.6. obsignat. litt. F. pag. 107.

AD supplicem libellum Sanctissimo porrectum de ordine Definitorii Generalis, quo deprecabatur declarare, quod Superiores Generales post duos annos Vacantiæ possent concurrere in Capitulis Provincialibus, & pariter, quod ii, qui exercuerunt per quatuor annos Officia Provincialia, possent concurrere in Capitulis Generalibus: Sanctissimus rescripsit, Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, quæ audito Voto Eminentissimi Cardinalis Imperialis apud S. Sedem Protectoris, indulgente solùm quoad biennium Vacantiæ suffragaretur Superioribus Generalibus, pro concurrendo tàm activè, quàm passivè in Capitulis Pro-

Provincialibus, non obstante Bulla Urbani VIII quæ incipit: *Circumspecta*, referente Eminentissimo Gabriellio Ponente censuit, sub die 21. Februarii 1709. *Pro gratia, juxta Votum Protectoris*.

Ex eodem libro pag. 170.

REferente Eminentissimo De Abdua Ponente, pro declaratione illorum, qui quatuor annis in Officiis Provincialibus infra sexennium gubernarunt, ut possent ad alia Generalia Officia promoveri in sequenti triennio, Sacra Congregatio sub die 6. Aprilis 1712. censuit: *Arbitrio Eminentissimi Protectoris*. Et Eminentissimus Imperialis Protector rescripsit: *Pro gratia*.